

3^o ARCONTIUS mille francos mutuo, TATIANO, viro nobilissimo et principi, dederat. Sed, cum pecuniam difficulter recuperare posset, ALBERTUS ejusdem principis amicus, qui medium habebat ut facile debitum istud accipere valeret, v. g. quia similem summam ipsi principi debebat, se offert ut jus ARCONTII emat, sed ea conditione ut, loco mille francorum, 900 tantum ipsi tribueret.

HINC :

QUÆR. 1^o An, vel quatenus jura incorporea vendi possint?

2^o Quid ad propositos casus?

SOLUTIO :

943. — R. ad 1^m Quæs. Jura incorporea, ut chirographa, credita, ususfructus, jus ad hæreditatem apertam, etc., si certa sint, vendi possunt sicut cætera jura quælibet; eorum autem traditio fit, chirographa vel alia scripta remittendo. Si vero dubia vel litigiosa sint, vendi possunt pro rata probabilitatis fortunæ favorabilis; proinde vilius emi possunt, si sint incertæ vel difficilis solutionis, quia tunc notabiliter vilescunt. Imo hoc valet etiam, si jura sint certa et facilis solutionis, quia non emitur pecunia, sed actio in illam, et ideo justum censetur pretium quod communiter pro talibus chirographis solvitur. S. Lig. n. 829, etc.

944. — R. ad 2^m Quæs. In primo casu, RIPALDUS credita BONIFACII vilius emere potest, quia res ultroneæ vilescunt; nec refert quod res illæ sint incorporeæ, cum valorem habeant haud secus ac res physicæ. Insuper labor et sollicitudo ad recuperanda debita, etiam vero pretio æstimabilia sunt.

In secundo casu, JACOBUS culpandus non est per se; debita enim solutionis valde difficilis notabiliter viliora fiunt. Sed ad rationem periculi majoris vel minoris attendendum est, ut æqualitas sortis, circiter, inter contrahentes servetur.

In tertio casu, validus et licitus est contractus. Debitum enim per se est difficilis solutionis: ergo minoris valoris. Est autem per accidens quod ALBERTUS medium facile habeat illud recuperandi. Tanto igitur melius pro ipso, si hac bona sorte sibi favente utatur; nullam enim injuriam facit venditori, qui ab alio quocumque plus obtinere non potuisset. Reuter, n. 204. — Lacroix, l. 3, n. 987.

CASUS XVI.

RETROVENDITIO.

RODULPHUS pecuniam ad censum annum a RICHARDO acceperat, ea lege ut, reddita pecunia, census ille redimibilis foret. Anno elapso, RODULPHUS, licet censum redimere minime intenderet, quippe qui pecunia necessaria prorsus carebat, simulavit tamen hunc redimere, reputans hac via RICHARDUM inductum iri ad pensionis in posterum solvendæ imminutionem. Itaque hominem adit, et significat sibi esse animum de census redemptione quantocius peragenda. Verum astus astu captus est.

RICHARDUS enim, RODULPHI artificium subodoratus, statim respondit: « Ut video, pecuniam jam habes in promptu; eam igitur quam citissime, si velis, etiam die crastina, afferas, ut extincti census rationem conficiamus. » Sic irretitus RODULPHUS: « Non habeo quidem hic et nunc, ait, sub manu; sed intra mensem certo a quodam debitore recipiam. » — Optime, inquit RICHARDUS, post mensem te exspecto. Quid RODULPHUS tam brevi spatio faciet? Quidquid habebat vini vendere properat. Sed cum sufficienti pecunia adhuc careret, ab ADRIANO, vicino suo, duo boum juga emit credito, ea statim pecunia numerata venditurus. Sed rem suspicans ADRIANUS, antequam boves traderet: « Si vis, ait, ego boves a te iterum emere paratus sum minori quidem, sed honesto adhuc pretio, quod incunctanter tibi persolvam. » Proponenti annuit RODULPHUS, ut tandem ab angustiis eriperetur.

HINC :

QUÆR. 1^o An RODULPHUS licite et valide imminutione pensionis uti potuisset, si RICHARDUS, ejus dolo deceptus, in imminutionem consensisset?

2^o An ADRIANUS sine injustitia boves minori quidem, sed soluto pretio, emere potuerit?

SOLUTIO :

945. — R. ad 1^m Quæs. Neg. Etenim, si RODULPHUS pensionis imminutionem obtinisset, eam fraude et dolo extorsisset; nam RICHARDUS falso metu fuisset inductus ad id concedendum. Habebat autem jus ne fraudulenter deciperetur. Ergo actus quo pensionem imminuisset, ex errore invalidus esset. Ergo damnificatio inde subsequens reparanda esset. Secus foret dicendum, si RODULPHUS fingeret quidem se velle censum redimere, intuitu imminutionis tributi obtinendæ, sed hic et nunc haberet vel facile habere posset pecuniam qua sortem restituere valeret; tunc enim jure suo uteretur. Recole dicta de Contractibus in genere n. 784. — Reuter, n. 120, 122.

946. — R. ad 2^m Quæs. Affirm. Ratio est, quia prima venditio non facta est cum pacto retrovenditionis. Ergo retrovenditio est novus contractus, omnino a priori independens; ergo ADRIANUS boves ab emptore suo iterum emere potuit quolibet pretio justo, licet minori, sicut ab altero quolibet. Porro, si ab altero emisset, de justo pretio quolibet ei pacisci licuisset. Ergo non est inquietandus ADRIANUS Sed cum non sit mediocre callidus, caveat ne mente usuraria agat, et labe indebiti lucri maculetur.

CASUS XVII.

DE RELATIONE MERCATORIA (REPORT) (1).

CORNELIUS, procurator ad venditionem censuum (agent de change), emit pro cliente suo censum 300 francorum, pretio 7,000 francorum, ea

(1) Vide versionem gallicam hujus casus ad calcem vol., a n. 1033 et seq.

conditione ut titulus clienti suo transferatur, et pretium solvatur post quindecim dies. Optime scit CORNELIUS clientem suum non habere præmanibus quomodo 7,000 francos solvat, sed ita ratiocinatur: Adveniente statuta die, jam titulus non solum 7,000 francis, sed 7,060 francis valebit. Quare perfacile erit emptori, titulum iterum vendendo, pretium emptio- nis solvere, et 60 francos lucri percipere. — Sed, adveniente die, tituli valor, nedum augetur, decrevit, nec pluris quam 6,950 francis vendi potest. Itaque CORNELIUS in his versatur angustiis, ut, nisi cliens titulum vendat, non habeat unde solvat; si autem vendat, loco 60 francorum lucri, quod sperabat, 50 francorum damnum passurus sit. Quid ergo faciet? « Vellem, ait sociis ibi adstantibus, referre operationem hanc ad quindecim dies. » (*reporter cette opération à quinzaine*).

« En ego, respondet CAIUS: cliens meus paratus est clienti tuo præbere officium relationis (*l'office de reporteur*). Vende igitur clienti meo titulum pretio currenti 6,950 francorum, sub ea conditione, ut statim clienti tuo revendatur 7,050 francis post quindecim dies solvendis. — Quin potius, inquit SEMPRONIUS, negotium habeat cum cliente meo qui tibi 7,040 francis revendet. — Et quin potius cum meo, exclamat LOELIUS, qui 7,030 francos erogabit? »

Optime, inquit intra se CORNELIUS, prævideo post quindecim dies titulum de quo agitur valiturum esse 7,060 francis; rem igitur peragam cum cliente LOELII, et etiamsi ab illo titulum redimat 80 francis carius quam vendiderit, erit tamen post quindecim dies lucrum 30 francorum, quum vendi poterit 7,060 francis titulus, pro cuius pretio 7,030 franci clienti LOELII solventur. Res ergo ita peragitur.

HINC:

QUÆR. *Utrum cliens LOELII tanquam usurarius damnandus sit eo quod, ex 6,950 francis, 80 francos lucri post quindecim dies retulerit?*

SOLUTIO:

947. — R. *Affirm.* si habuerint contrahentes animum usurarium, hoc est, si LOELIUS totam illam negotiationem perfecit, sola intentione percipiendi, sub prætextu ac specie emptio- nis et retrovenditionis, lucrum ex numerata CORNELIO pecunia; si CORNELIUS ex sua parte nihil aliud intenderit, quam ut pecuniam ad servandum titulum necessariam obtineret, quin veram ejusdem tituli venditionem institueret. Tunc enim adest evidenter usura palliata.

948. — Si vero sola LOELII negotiatio *in se* spectetur *controvertitur*. — *Prima sententia communior*, et, ut videtur, *probabilior*, damnat ipsam operationem tanquam usurariam. Ratio est quia 1º ejusmodi titulo- rum venditio, cui adnectitur pactum retrovenditionis statim faciendæ, ficta omnino videtur, atque excludit *per se* veram intentionem dominii transferendi; unice igitur inservire potest ad palliandum mutuuum cum usura; 2º Contractus *Mohatra* essentialiter continetur duabus ejusdem rei venditionibus, quarum una fit credito ac pretio summo, altera nume-

rata pecunia ac pretio infimo, ita ut is qui credito vendit, quando, redimendo rem, pecuniam numerat, pro lucro accipiat excessum pretii summi supra infimum; Theologi autem communiter excusant hunc contractum ab usura, si venditiones fiant diversis personis, aut, respectu quidem ejusdem personæ, sed sine pacto retrovendendi, damnant e contra unanimiter si pactum interveniat; imo reprobavit Innocentius XI sequentem propositionem: *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri*: atqui in relatione mercatoria inveniuntur duæ illæ venditiones respectu ejusdem personæ, et pactum intercedit; 3º Attestantur viri harum rerum periti eo fine revera institui in foro argentario negotiationes relationis mercatoriæ, ut lucrum ex pecuniæ præstatione suscipiatur, non autem ut vere tituli vendantur.

Secunda tamen *sententia* concedit esse licitam *in se* relationem mercatoriam. Ait enim 1º utramque venditionem, nonobstante pacto quod intervenit, minime fictam esse, quinimo serio a contrahentibus intendi; 2º obligationem retrovendendi imponi ipsi relatori (*au reporteur*), id est, non illi qui detrimentum, sicut fit in *Mohatra*, sed illi e contra qui lucrum, ex negotiatione immediate percipit; hoc lucrum igitur haberi posse tanquam compensationem oneris quod relator suscipit, præsertim cum agatur de titulis, seu de rebus, quarum valor indesinenter crescit ac decrescit, præbetque facile spem alææ favorabilis. — Addit 3º in praxi, ut legitimos habendos esse tales contractus ad negotia expedienda valde necessarios, quum præcipue fiant sciente, et tacite saltem approbante auctoritate publica, quæ est legum optima custos et interpret.

949. — Hæc ultima sententia, propter secundam potissimum rationem, a pluribus forte habebitur ut probabilis. Quamvis igitur alterius fundamenta solidiora videantur, non erunt absolute damnandi, qui bona fide tales negotiationes exercent, modo non agant animo usurario, neque lucrum quærant, quod excedat limites justæ compensationis, ut dictum est.

950. — Facilius autem labem usuræ incurrent, si in his, ut sæpius fit, unice sibi proponant, ut ex pecunia, quam præmanibus nunc otiosam habent, majus quod poterunt lucrum negotiando suscipiant.

CASUS XVIII.

VENDITIO SUB HASTA 1º.

1º OLYMPIUS, occasione cujusdam publicæ licitationis, rogavit amicos, tabellam emere volentes, ut a concursu desisterent, aut ne plus tali pretio offerrent, ut eam ipse pretio infimo emeret. Ejus votis obtemperarunt amici.

2º Dum, publica licitatione, libri cujusdam bibliopolæ defuncti venderentur, tres Sacerdotes, qui in emptorum numero aderant, inter se conveniunt ut, quoties ipsorum aliquis librum emere vellet, alii a concursu abstinerent

3º AURELIUS, maximam expertus infelicitatem, eo redactus est ut solvendis debitis impar evaderet, et inde ejus bona urgentibus creditoribus,

sub hasta, seu publica auctione divenderentur. Cum autem noverit plures ad emendum concurrentes singulari affectu ferri ut ejus domum acquirant, subornat amicos qui, intentionem emendi simulando, pretium augeant; et ita domus carius venditur.

HINC :

QUÆR. 1^o *An OLYMPIUS in primo casu injuste egerit?*

2^o *An Sacerdotes, de quibus in secundo casu agitur pactum hujusmodi absque injustitiæ labe inire potuerint?*

3^o *An juste processerit AURELIUS, in tertio casu? vel ad quid teneatur?*

SOLUTIO :

951. — *R. ad 1^m Quæst. Neg.* Ratio est, quia OLYMPIUS nemini injuriam facit. Etenim non facit injuriam amicis, quippe qui rogati libenter de jure suo cedunt; neque venditori, quia libertas licitandi non tollitur, et emptor sua industria, minime dolosa, neque injusta, utitur. Attamen preces importunæ esse non debent. *S. Lig. n. 808.*

952. — *R. ad 2^m Quæst.* — Præfati Sacerdotes non injuste egerunt, si non intervenerit inter eos pactum proprie dictum, sed tantum quoddam propositum non sibi invicem nocendi. Tum casus videtur idem ac præcedens, siquidem excluditur contractus proprie dictus. Secus hæc praxis generatim injustitiam sapit, quia venditor jus habet ut emptores sint perfecte liberi, et ne impediatur pretii incrementum. Probabiliter tamen ab illa regula excipiuntur proxime cognati, vel ii qui societate commerciali sunt conjuncti, quia unicam personam moralem constituunt: nec potest exigi, ut adversum se liceantur. Plures etiam amicos excipiunt, quia sunt quasi conjuncti. *V. Comp. n. 910.*

953. — *R. ad 3^m Quæst.* AURELIUS illicite et injuste egit, quia dolo et fraude procuravit ut pretium domus cresceret cum emptorum detrimento; isti enim jus strictum habent, ut non adigantur ad emendum ultra pretium ex cursu naturali rerum crescens: ergo injuste decipiuntur per fictos licitatores fraudulenter a venditore constitutos; ergo jus habent ad injuriæ reparationem. *S. Lig. Hom. ap. n. 175.*

CASUS XIX.

VENDITIO SUB HASTA 2^o.

Prodigiosa B. V. Imago.

GERTRUDIS, devota quidem mulier, sed pauperrima, non habebat unde creditoribus suis solveret. Hinc factum est, ut per *licitationem sub hasta* in foro publico quidquid ipsi erat suppellectilis divenderetur. Ventum est ad tabellam B. V. Mariæ male depictam et pulvere maculatam. Clamat mulier, se magna devotione erga imaginem illam affici, eo quod miracula faceret: instat, urget ne imago vendatur. Reponit præco et adstantes creditores: jam miracula nulla fieri; B. Virginem illam caligine obscæ-

tam esse. Quare indignatus LAURIANUS, Sacerdos, casu ibi adstans, excogitavit novam rationem plectendi eorum impietatem. Incipit tabellam oculatius introspicere, detergere, admirari; auget pretium eo usque ut pecunia jam debitis omnibus solvendis superesset. Quamobrem commoti alii, et existimantes pretiosam esse tabellam, ipsi quoque pretium augent. Tunc Sacerdos illis permittit reportare tabellam, inclamatque: jam novum miraculum editum esse, B. M. Virginem suos contemptores gravi multa damnasse, et per imaginem nullius pretii solvisse debita omnia mulieris, et reliquam suppellectilem salvasse.

HINC :

QUÆR. 1^o *An LAURIANUS, Sacerdos, injuste egerit et ad restitutionem teneatur?*

2^o *An mulier restituere debeat, si restituere possit?*

SOLUTIO :

954. — *R. ad 1^m Quæst.* An injustitiæ arguendus sit pius Sacerdos, qui tanta misericordia et caritate mulieri pauperrimæ et gravissima necessitate oppressæ auxiliatus est? Numquid damnandus erit ille, per quem B. Virgo miraculum patravit? Profecto, ratione bonæ fidei saltem, excusandus erit. Sed quid de casu *in se* spectato? Dico, etiam re *intrinsece* perpensa, Sacerdotem ab omni labe injustitiæ immunem esse. Etenim ille non est injustus qui jure suo utitur; atqui in casu nostro LAURIANUS jure suo usus est: nam fraudem nullam decipiendi causa adhibuit, socios nullos ad fidei licitandum constituit, neque cum ullo alio pactum pepigit, sed ipse solus una cum aliis multis licitatus est. Ergo minime fraudulenter egit. Nec dicas Sacerdotem fraude usum esse, licitationem simulando; nam non fide, sed vere licitabatur, et rei periculum sane incurrebat; imaginem enim servare debuisset, si alii licitantes prius constitissent. Neque dicas iterum, eum alios decepisse, imaginem admirando; nam se in arte peritum minime jactavit, nec raro ignari magis quam cæteri mirari videntur.

955. — *R. ad 2^m Quæst.* Jam, ex dictis, de medio tollitur difficultas. GERTRUDIS ad nihil tenetur, etiamsi restituere possit, cum Sacerdos justitiam non violaverit. Grates igitur millenas agat mulier B. M. Virgini, eo quod, ad ipsi patrocinandum, prodigium istud ediderit.

CASUS XX.

CINARÆ COQUO CARISSIMÆ.

(Artichauts bien payés.)

HYGINUS, coquus, rei culinariæ non mediocriter zelotes, primitiarum avidissimus, ideoque hero, prædiviti viro, gratissimus, cum die quadam

ad forum olitorium accessisset, advertit venales cinaras maturo tempore primum apparuisse. Quibus inhians, ocius justum pretium venditori obtulit. Sed ecce, nescio quo casu, simul huc advolat MARCUS, alius coquus cujusdam extranei, qui pretium superius venditori impiger offert. Vice sua adauget pretium HYGINUS, qui iterum ab adversario superatur. Jubilante venditore, certamen producit. Victor vincitur, et nova extollitur victoria, de qua extemplo dejicitur. Itaque, cum uterque coquus desiderium proprii heri cognosceret, veluti per licitationem, usque ad viginti francos pro singulis cinaris pretium auctum est. HYGINUS, in hujusmodi certamine victor, cinaras retulit.

HINC :

QUÆR. *An hujusmodi licitatio licita sit? Vel utrum venditor, cinararum pretium supra modum adauctum, restituere teneatur?*

SOLUTIO :

956. — *R. ad Quærs.* Quid juris in hoc adeo singulari casu? An olitor, tantam nactus felicitatem, contristari debeat, onus restitutionis ipse subeundo? An reddere debeat HYGINO quidquid ab eo supra summum rei pretium accepit? Quam pauci venditores tibi fidem adhiberent, si hoc assereres!

Dico igitur, venditorem ex omni parte absolvendum esse. Etenim, si injuste egisset, injustitia oriretur vel ex cooperatione injusta in damnum domini cui HYGINUS famulatur, vel ex pretio *per se* injusto. Atqui ex nulla parte injuria apparet. 1° Venditor non fuit injustus *ratione cooperationis*: etenim in hypothesi dominus non est invitus; legitime enim ejus consensus præsumitur: ergo coquus non egit contra ejus voluntatem; ergo ei injuriam non intulit; ergo nec venditor injuriæ cooperatus est. 2° Neque *ratione pretii* *per se* injusti: nam pretium non exaggeravit, sed justum proposuit; neque fraude, neque dolo emptores ad pretium augendum adegit. Ergo excessus pretii sponte et scienter oblatus, et ab eo acceptatus, minime vero requisitus, justitiæ non adversatur. Accedit etiam *titulus licitationis*: in licitatione enim illud verum æstimatur pretium quod ab ultimo licitante offertur; atqui vera licitatio inter duos coquos de cinaris habita est: ergo judicandum est legitimum pretium ab HYGINO, ultimo licitante, præfixum.

957. — Nec obstat quod hæc licitatio privata sit, non vero publica, nec prænuntiata: nam licitas *licitationis* non ab ejus publicitate, nec a numero licitantium repetenda est, sed ad emptorum certamine; siquidem, etiam in licitatione publice prænuntiata, aliquando paucissimi certantes de pretio reperiuntur, et tamen justa censetur rei venditio. Pretium igitur legitime adaugetur concursu emptorum, qui certatim rem vendendam requirunt et plus offerunt, ut illam obtineant. Ergo parvi refert quod sint multi vel pauci licitantes.

CASUS XXI.

MONOPOLIUM.

1° MENANDER, vir dives et potens, necnon adaugendæ fortunæ cupidus, autumnali tempore, per mandatarios suos satagit ut venale loci et viciniæ frumentum fere totum, pretio tunc currenti, ematur: quare factum est ut illud, pretio adauctum, cum notabili suo lucro posset divendere.

2° RUFUS, RUFINUS et RUFINIANUS, mercatores, inito inter se consilio, omne frumentum viciniæ, quod venale erat, mense novembri colligunt, ut æstivo tempore, cum pretium creverit, illud revendant. Attamen pretium supremum vendendo non excedunt.

3° Operarii cujusdam civitatis, in officinis socii, v. g. sartores vel suttores, pactum inter se ineunt, ut ex eorum numero nullus laborem præstet, nisi, loco 30 assium, in posterum 2 franci ipsis tribuantur. Domini autem, seu mandantes, vice sua, ad contumaciam operariorum confringendam, ex mutuo consensu e contrario, salarium operariorum imminuendum esse statuunt.

HINC :

QUÆR. 1° *An MENANDER, in primo casu, injustum monopolium egerit atque restituere teneatur?*

2° *An mercatores, de quibus agitur in secundo casu, graviter contra justitiam peccaverint?*

3° *An contra caritatem?*

4° *An socii operarii et eorum domini, in tertio casu, de injusto monopolio damnandi sint?*

SOLUTIO :

958. — *R. ad 1^m Quærs.* MENANDER non videtur damnandus, dummodo frumentum non vendat ultra summum pretium quod, secluso monopolio, exstitisset, neque vendat summo pretio quod postea usus feret, quodque ipse induxit. Ratio est, quia jure suo usus est; nemo enim proprium commodum negligere tenetur, ut damnum alienum vitet, quando illud avertere non obligatur. *V. Comp. n. 914.*

959. — *R. ad 2^m Quærs. Controvertitur.* Prima sententia probabilis affirmat, quia hujusmodi mercatores cogunt alios per medium injustum, ut pretio supremo emant. Secunda vero sententia etiam probabilis, imo, ait *S. Lig., forte probabilior*, negat. Ratio est, quia venditores non cogunt alios ad emendum; sed isti a propria necessitate tantum coguntur. Ergo pretium mercium non est injustum, modo non excedat pretium summum quod verisimiliter, secluso monopolio, in usu fuisset. Sicut enim non infertur injuria alteri, impediendo precibus vel suasionem tantum, sed absque fraude, testatorem ne eum hæredem constituat, secluso jure stricto ad hæreditatem, ita etiam in nostro casu. *S. Lig. n. 817.*

960. — *R. ad 3^m Quærs. Affirm.* Ratio est, quia, licet caritas non te obliget ad vendendum infra pretium summum, videtur tamen te obligare

ad non dissuadendum aliis, ne minori pretio vendant. Sicut enim caritas non te obligat ad dandam eleemosynam, videtur tamen te obligare ad non avertendos alios qui eam largiri volunt. *S. Lig. ibid.* — *V. Comp. n. 913.*

961. — *R. ad 4^m Quæ.* 1^o Injuste egerunt operarii, si coegerint dominos ad sibi supra summum pretium retribuendum pro labore quem isti pretio minore obtinuissent. Domini vero in hac hypothesisi non injuste egerunt, cum id fecerint tantum ad operarios juste coercendos. Verum, si operarii a pravo consilio desistunt, domini etiam desistere debent.

2^o Si vero operarii convenerunt de pretio supremo quidem, sed justo, a dominis requirendo, *controvertitur*, ut in secundo casu. *V. S. Lig. ibid.*

CASUS XXII.

DE TRANSACTIONE.

2^o BERTULFUS, litem habens cum PAULINO circa pratum aliquod, nec controversiam dirimere valens, jamjam rem ad judicem delaturus erat cum adversarius ei proponit ut omnia inter se bona pace componant, et sic expensas et strepitum actionis judicialis effugiant. Inter eos igitur privatim statuitur transactio, vi cujus BERTULFUS pratum habiturus sit, et alteri mille fr. soluturus. Rebus ita compositis, nummisque a PAULINO acceptis, BERTULFUS invenit documentum, ex quo luculenter patet pratum illud ab avo BERTULFI, patri PAULINI, fuisse venditum, et proinde ad PAULINUM pertinere. Tacitus instrumentum destruit, et pratum sibi servat.

2^o Duo fratres PETRUS et PAULUS possident simul jus litigiosum in domum MARCI; PETRUS in init contractum transactionis cum MARCO, vi cujus accipit 500 fr., et jus quodcumque in hanc domum abdicat. Postea autem mortuo PAULO, PETRUS fit hæres fratris, et statim litem movet in MARCUM quoad præfatam domum, causamque obtinet.

HINC :

QUÆR. 1^o An BERTULFUS pratum retinere possit in primo casu?

2^o An PETRUS domum in secundo casu?

SOLUTIO :

962. — *R. ad 1^m Quæ.* *Affirmative.* Ratio est, quia transactio est contractus aleatorius, utrique contrahenti æque favens, et idem onus utriusque imponens, cum res supponatur ex utraque parte dubia; proinde singuli contrahentes cedunt e jure suo probabili, ad vitandum damnum etiam probabile: scilicet, singuli cedunt dimidiam partem juris dubii, ad alteram partem sibi assecurandam. Ergo, semel facta serio transactione, nihil restitui debet ab eo qui postea rescit rem fuisse alterius, nec quidpiam ab adversario repeti potest. Ergo in casu nostro BERTULFUS pratum tacitus servare potest ut suum, vi contractus quo PAULINUS e jure suo toto cessit, ut mille francos obtineret.

Consonat Jus Romanum, *l. sub prætextu*, 19, *Cod. de transactione.* Ita etiam communiter Theologi, teste *Reuter*, n. 270. — *Lacroix*, n. 629.

Layman, l. 3, tr. 4, c. 31. Attamen negative respondendum ubi viget Jus Gallicum, ex art. 2057.

963. — *R. ad 2^m Quæ.* *Affirmative.* Ratio est, quia PETRUS per contractum transactionis, renuntiavit quidem juri suo proprio, quod tunc habebat in domum MARCI, sed minime renuntiavit juri quod postea habere poterat, ut hæres fratris sui. Etenim jus illud quod prosecutus est, ut hæres, novum est, nec existebat tempore contractus transactionis; ergo non poterat huic juri renuntiare. Sic de jure naturali, cui consonat Jus Gallicum, art. *Cod. civ.* 2050 (1).

CASUS XXIII.

NEGOTIATIO 1^o.

1^o MAGLORIUS, mercator, vere *mendax in stateris*, emptoribus justum pondus mercium non tribuit. Attamen infimo pretio eas vendit, ita ut, si datum et acceptum conferantur, hujusmodi venditio limites justis, saltem supremi pretii, non excedat.

2^o AMANDUS, mercator, cum emptores renuntiant tantum sibi offerre quantum requirit, solet frequenter mentiri ac protestari se illam vel istam speciem mercium tanti emisse. Inde fit, ut illi ad pretium adaugendum adducantur.

3^o AZOR, dum pretium frumenti summum foret, rescians plures alios mercatores seorsim mandasse ut magna tritici copia ex aliqua provincia ad suam officinam adveheretur, tantam adhibuit diligentiam, ut ipse ante alios suum quoque triticum haberet. Quare factum est ut, pretio corrente illud vendens, licet non ignoraret imminutionem mox adfuturam, lucrum ingens perceperit.

HINC :

QUÆR. 1^o An MAGLORIUS, in primo casu, juste egerit?

2^o An AMANDUS, in secundo casu, pretium sic mendaciis adauctum accipere et retinere queat?

3^o Si fraude vel dolo induxerit emptores ad justum quidem, sed supremum pretium tribuendum, an teneretur ad aliquid restituendum?

4^o An AZOR, in tertio casu, injuste egerit?

SOLUTIO :

964. — *R. ad 1^m Quæ.* MAGLORIUS injuste egit. Ratio est, quia, licet mercator non teneatur ante contractum infimo pretio merces suas vendere ad id tamen tenetur quando de hoc inter ipsum et emptores conventum est. Venditor enim statutum pondus tradere debet; secus emptor in errore circa pretium versaretur, et, dum putaret merces pretio infimo emere, pretium summum aut medium solveret.

(1) Si celui qui avait transigé sur un droit qu'il avait de son chef, acquiert ensuite un droit semblable du chef d'une autre personne, il n'est point, quant au droit nouvellement acquis, lié par la transaction antérieure.